

DEO OPTIM. MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quintâ mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LXIV.

M. FRANCISCO THIERRY DE BUSSY, Doctore Medico, Præside.

An Viris lex eadem quæ Mulieribus, periodicas Evacuationes pati?

§. I.

QUOD Græci Καταρηνία, Latini Menstruationem, quandoque Flores vocitant, criticum singulis mensibus audit effluvium. Nota est in mulieribus menstrualis purgatio; nec absimili ratione sancita lex apud viros, ut periodicæ evacuationi certo subjaceant ætatis stadio.

Concessum vitæ curriculum, non uno tenore peragimus. Sui sunt limites adolescentiæ, quam pubertas secundo excipit septenario, jamque menstruationis futuræ necessitatem varia prænuntiant symptomata. Corpus in puellâ tenerum occupat anxietas quædam & inertia, languent artus alacritatis immemores, vultus decolor, extincta oculorum acies, appetitûs remissio, minùs liberas arguunt functiones. Mox imos invadit ardor circulationis recessus. Caput dolet, pulsus vehementior est, cutis urens, arida corporis habitudo, celerior respiratio, frequentes

narium hæmorrhagiæ, vera ſe prodit febricula (*a*). Promovetur intereà corporis extenſio, præcipuè circà partes, quæ ad generationem vices aliquas gerunt. Mammæ ſororiantur, pelvi diameter accreſcit major, quàm in viris (*b*). Ad regionem pubis germinant pili, dolor renum, æſtus circà lumbos & coxas, crurum perſentitur laſſitudo : turget uterus, nonnumquàm levi tentatur inflammatione. Hujuſmodi ſymptomatibus agnoſce quid magnum Naturam moliri : ſcilicet ipſa ſe accingit, dùm proxima imminet menſium eruptio, totaque in obices removendos intenditur. Non valet diutiùs vaſorum flexilitas opportunum cœrcere profluvium, & eccè purpureus ad uterum extillat cruor, puellâ jam ſancito quaſi fœdere viris maturâ. Statis recurret vicibus ſemel peracta menſtrualis purgatio, non quidem prorsùs expedita, niſi ad annum decimum-ſeptimum. Sanguis primo ſtillicidio genitalia exploraſſe tantùm videtur, novaque identidem aderit reſiſtentia donec accuratè inſtituantur periodi ſingulis circiter (*c*) menſibus lunaribus, quantitas evacuationis ſit unciarum viginti, duratioque trium vel quatuor dierum. Serena renaſcitur ætas emenſâ pubertate. Suus fronti redit honos, genæ & labia roſeo perfunduntur colore, affulget rediviva adoleſcentiæ venuſtas, puella toto habitu incedit alacrior. Neque enim in ſtatu ſano aliter præſagitur menſtruatio niſi auctâ (*d*) nervorum mobilitate, levi per organa generationis phlogoſi, majorique ad Venerem proclivitate. Sic mulieres voluptatis ſtimulo deludit Natura, quaſi inſidietur, ne inſtante menſium fluxu, futuræ parturitionis pericula proſpiciant.

Eadem apud viros criticæ evacuationis conditio ſe prodit, licèt obſcurior, nèc ità multiplici ſymptomatum apparatu. Innumera extant exempla ſanguinem ſingulis effluxiſſe menſibus (*e*) per hæmorrhoidas in mercatore Leydenſi, per apicem minimi digiti in Hiberno quodam, per cutis poros, per virgam in juvene (*f*), per vomitum, per varia denique colatoria. » Aliquando, inquit Boerhaavius (*g*), homines dolent ex » capite : jubet Medicus ſanguinem mitti, levantur, &c. &c. &c. repullulat vivax malum » poſt aliquot ſeptimanas, & repetitâ venæ ſectione plethora ita ad caput determinatur, » ut ſtatis vicibus redeat, niſi malum fuerit radicitùs extirpatum ». Sanctorium adeamus virum obſervando ſagaciſſimum. » Corpora, inquit (*h*), virorum ſana & moderatiſſimo » victu utentia ſingulis menſibus ſiunt ſolito ponderoſiora, unius, duarumve librarum » pondere, & redeunt ad conſuetum pondus circa finem menſis, *ad inſtar mulierum*, » ſed facta criſi per urinam paulò copioſiorem vel turbidiorem (*i*) . . . . . Antè » dictam criſim *menſtrualem* à ſomno factam, vel gravitas capitis, vel corporis laſſitudo » perſentitur, & deindè paulò copioſiori urinâ evacuatâ, omnia ſedantur (*k*) ». Undè nam verò periodica in viris hujuſmodi effluvia ? Nùm ab errore loci, nùm ex vitio conformationis, nùm deneganda fides obſervationibus ? Cave Naturam ſic interpretari. Scilicet demonſtratur criticæ ad corpus evacuationis neceſſitas certo ætatis ſtadio, nec alia adeſt apud mulieres purgationis menſtruæ cauſa.

(*a*) Inter mille fœminas vix una reperitur, quæ non tunc febricitet. *Boerh.* de Menſt. tom. vj.

(*b*) Ibid.

(*c*) In immenſùm variare ſolet menſtrua evacuatio, pro diverſitate regionum, corporis inſtitutione, diverſoque uſu ſex rerum non naturalium. Vid. Obſ. apud *Fitzgerald*, de Catam. Diſſ. Monſp. habit. Schurig. Parthen. *Mém. de l'Acad. Royale des Scienc.* *Hipp.* de Morb. mul. lib. 1. ſect. v.

(*d*) Omnia generationis organa ob nervorum numerum valdè ſenſilia facta ſunt. *Hall.* 1ª Lin. Phyſ. pag. 534.

(*e*) *Freind*, de Menſib. cap. viij. *Boerh.* de Menſt. tom. vj. pag. 42. *Barth.* Obſ. 33. cent. v. *Gothof. Berg.* de Nat. Hum. pag. 255. *Schurig. Parthen.* §. ij. cap. iv.

(*f*) Illam obſervationem mihi tradidit illuſt. hujus Academiæ Socius D. Dubourg.

(*g*) *Boerh.* de Menſt. tom. vj. pag. 43.

(*h*) Med. Stat. Aph. LXV.

(*i*) *Hamberg.* Elem. Phyſ. pag. 547. *Senac*, Eſſ. de Phyſ. tom. 1. pag. 121.

(*k*) Med. Stat. Aph. LXVj.

§. II.

QUAMVIS illuſtrium ingenia virorum exercuerit enucleanda menſtruatio; multi à recto tramite devii, pauci veram perlegêre viam, nulli proſpectam metam attigiſſe videntur. Quid mirum ? phœnomena malè perſpicaces phœnomenis ſolvere contendunt.

Chimici ſua, ut moris eſt, fermenta advocant; Democritus fervorem uterinum;

nuperrimè vir celebris phlogofim voluptuofam (*a*). Aſt deficiunt ut plurimùm menſtrua in violentis animi affectibus, ſi debilitentur ventriculi vires, in chloroſi, poſt hæmorrhagias; neque conſtans eſt effluxus ad vias generationis (*b*). » Vidi, inquit » Boerhaavius (*c*), ubi evomebatur ſanguis, vidi per alvum deponi & per ſudo- » rem, imò ex interno oculi cantho : ubique eadem materia, floridus nempè ſan- » guis, qui per quamlibet corporis partem erumpit, ſi in eâ parte conſuetudo » nata eſt, cui vulgò uterus obnoxius erat (*d*) ». Quid plura? obſolevit abſtruſior de fermentis doctrina, theoriamque ipſius ruinis accuratiorem ita novit adſtruere vir (*e*), tùm ingenii, tùm eruditionis laude commendandus, ut hujuſmodi ſyſtematibus ſpes fortunæ melioris nulla jàm ſuperſit.

Inter Phyſicos recentiores celeberrimus Freind (*f*), ipſe Boerhaavius (*g*), humidum increpant in mulieribus temperamentum, laxiora fibrarum ſtamina (*h*), vitam mollitie effœtam, vaſa uteri diſtenſionem pati docilia. Ergòne periodica evacuatio peculiari addicta eſt mulierum conſtitutioni? Audeas Naturam medias per ambages tentare (*i*). Dantur Nationes quarum mulieres menſibus carent: id de Scythicis (*k*) narrant, quæ maritos in bello comitantur, vix eas menſtrua pati, vix mammas habere, accedunt ad virile temperamentum. Refert Olearius Groenlandiæ indigenas pube & menſibus deſtitui (*l*). Solemne eſt *Tapuyæ* fœminas (*m*), tempore pubertatis inciſionibus per femora filias ſuas lacerare : ſic eas liberant à menſium periculo, ut nullos per totam vitam patiantur (*n*). Narrat Hippocrates (*o*), hiſtoriam Phætuſæ cujuſdam & Nymaſiæ, quibus poſt diuturnam ſuppreſſionem corpus virile factum eſt, ita ut hirſutæ admodùm & barbatæ evaderent. Quid obſervando immoremur? Nonnè par viris & mulieribus naſcendi conditio (*p*)? Nonne ſors eadem, dùm in cunis inermes infirmitatibus, dùm ætate provectiori ſenſuum ludibrio ſubjacent? Scilicet ſexus ſexui vix aliundè præcellit, niſi ex præmaturâ puellarum menſtruatione. Hinc ſanguis diſſipatur qui in partes nutriendas ceſſiſſet. Hinc corpus tenerum adhuc incremento (*q*) & robore (*r*) virili defraudatur. Eſt itaque ipſa menſtruatio cauſa, nedùm effectus laxi in mulieribus temperamenti.

Arridet primo intuitu quod à Galeno proponitur, menſtrua fœcunditatem arguere, tribuique eadem juxta Naturæ inſtitutum, ut per conceptionem ſuppreſſa embryoni nutrimentum præbeant. Syſtema eſt à vero remotiſſimum (*ſ*). Nullæ ergò conciperent fœminæ, niſi quibus menſes effluxerint, nullæ poſt diuturnam ætate provectiori ſuppreſſionem, quod prorsùs hiſtoriæ Medicæ repugnat (*t*). Fidem facit experientia ruſticas mulieres menſtrua parciùs habere; nec mirum : duris exercitæ

(*a*) Tableau de l'Am. Conj. tom. 2. pag. 12. *Journ. de Méd. Avril* 1763. *Differt. de M.* Le Cat, *ſur la Menſt.*

(*b*) Eruptio menſium ſæpiùs ſuſcitatur per aliena loca. *Sennert*, Prax. lib. iv. cap. iij. *Schur. Parth.* Philoſ. Tranſ. *Berg.* de Nat. Hum. pag. 253. Maculæ per cutem pro menſib. *Barthol.* in Fœminâ quâdam poſt ablatum uterum, menſes deinceps per vicinam anum ſtato tempore, & colore convenienti effluxêre. *Plat.* Obſ. Med. apud *Hall.* in *Boerh.* de Menſt.

(*c*) *Boerh.* de Menſt. tom. vj. pag. 52.

(*d*) Amſtelodami Virgo vixit, cui omni menſe ex cute capitis ſanguis exſudavit. Ibid. pag. 44.

(*e*) Vid. *Journ. de Méd. Octobre* 1764. *pag.* 315. *Réfutation du ſyſtême de la Phlogoſe Voluptueuſe, par M.* Bonté, *Méd. à Coutances.*

(*f*) De Menſib. cap. iij.

(*g*) De Menſt. tom. vj. *Hall.* 1æ Lin. Phyſ. uter. Virg. pag. 536. *Gorter*, Med. Comp. pag. 33.

(*h*) Mulierem rariore & molliore carne eſſe quàm virum cenſeo. *Hipp.* de Morb. mul. lib. 1. ſect. iv. pag. 598.

(*i*) Menſes non neceſſarii, quando uteri vaſa juſto minora ſunt. *Simſon*, apud *Hall.* in *Boerh.* de Menſt.

(*k*) *Boerh.* de Menſt.

(*l*) In itin. Moſc. apud *Hall.* Not. in *Boerh.*

(*m*) *Lery*, in Itinere *Braſ.* Ibid.

(*n*) *Braſiliæ* Incolis plethora ſub prima molimina menſium deſtruitur, ita ut, priùſquam nova generetur, ſolidata vaſa uteri preſſioni ſanguinis reſiſtere poſſint. *Hall.* Not. in *Boerh.* de Menſt. pag. 50.

(*o*) De Morb. mul.

(*p*) Puer & puella vix differunt. *Hall.* Not. in *Boerh.* de Menſt. cor æquè fortè eſt in puero & in puellâ; nequè enim ulla in recens natis diverſitas reperitur. Ibid.

(*q*) Quibus mulieribus pauci menſes prodeunt, eæ craſſæ ſunt, benè coloratæ, virileſquè. *Hipp.* de Morb. mul. lib. 1. ſect. v.

(*r*) Repetitâ ſæpiùs in viris venæ ſectione, tandem virile robur in laxitatem fœmineam degenerat. *Wanſwiet.* in Aph. *Boer.* tom. 1. pag. 139.

(*ſ*) *La matiere des menſtrues n'eſt point eſſentielle à la génération. Hiſt. Nat. de l'Homme*, Buff. *tom.* 2. *pag.* 510.

(*t*) Vid. Obſ. innum. apud *La Motte.* Tabl. de l'Am. Conjug. tom. 2. pag. 109. *Senn.* Pract. lib. iv. ſect. ij. cap. 3. quæſt. 12.

laboribus victu carent necessario, collabitur aridum corpus defatigatione, sudoribus dissipatione nimiâ. Ipsæ tamen feliciorem experiuntur conceptum, minùs laboriosam parturitionem, alacriores toto gestationis tempore, pueros generant robustissimos. Quid dicam de Groenlandiæ indigenis, de Scythicis mulieribus, ne fœmellas brutorum advocem, quibus satis est, dum gestant, ut pabulum suppeditetur abundantius? Annotat Boerhaavius (*v*) frequentissimam esse abortûs rationem, cùm tertiâ vice menses recurrere oportet. Ea periodo sexaginta ut plurimùm *menstrui sanguinis* unciæ intra vasa materna retinentur, quarum non ultrà uncias duas in sui emolumentum embryo absumit. Plethora efformatur, & inter innumera graviditatis pericula, non rarò hæmorrhagiis ad uterum erumpit (*u*). Credis ergo formationem fœtûs parari causâ eadem, quæ in ipsius ruinam intenditur?

Frustrà reclamat Ballonius mirabili Creatoris beneficio concessam mulieribus fuisse hujusmodi evacuationem, quâ sanguine expurgato à sordibus & recrementis conceptio promptior evadat. Adversatur observatio. Erumpit sanguis in puellâ sanâ per arterias capillares uteri, superfluus magis quam immutatus, sincerus, *qualis è mactatâ victimâ* (*x*). Neque veneni dotes æmulatur, neque excrementitius censeri debet, degenerve ab humoribus humanis, nisi diuturniore morâ, deterioris succi miscelâ, vel pravâ liquidorum diathesi vitium contraxerit. Ne igitur conviciis functionem prosequere, quæ sanitatis tutamen æquo jure pertinet ad utrumque sexum. Ex his enim invictè eruitur menstruam purgationem nullatenùs esse repetendam è nativâ mulierum constitutione.

(*v*) Inter mille quos vidi abortus, vix centum fuerunt exempla, in quibus non eo tempore contigerit ea calamitas, quandò menses tertiâ vice recurrere opportuerat. *Boerh.* de Concept. tom. vj. pag. 157. Incommoda gravidarum reverti sub menstruis periodis. Ibid.

(*u*) Abortus fiunt mense tertio & quarto. *Hipp.*

(*x*) *Hipp.* de Morb. mul. lib. 1. sect. v. pag 592.

§. III.

NATURA nec in errorem rapitur, nec vanis indulget hominum systematibus. Scilicet est ipsa humanæ existentiæ ratio, quatenùs, inquit Hippocrates (*a*) corpus physicis informatur proprietatibus, quæ ad vitam sunt necessariæ (*b*). Exulent ergo causæ finales, quibus multi adhuc assentiri amant: menstruationem mechanicè explicandam suscipimus.

1°. Distinguitur in corpore humano vis duplex & opposita, dùm humores vasa, alternatimque vasa humores in motum reciprocum concitant. Sanguis itaque circulando protruditur ad vasorum parietes, distensionem eorum producit, tentat ulteriùs erumpere: vasa verò pro suâ vice impedimento sunt ne erumpat, distentaque reagunt in sanguinem. Simplici hac ratione circulatio instituitur, functiones circulatione, vita functionibus; sicque exurgit miranda prorsùs corporis humani œconomia, in quo nihil quidquam peragitur, nec alia adest existendi conditio, nisi ut remaneat actio fluidorum & solidorum reciproca. Deindè vis impenditur humoribus ex cordis contractione, vasisque distensioni renitentibus ex elasticitate membranarum. Ergò neque sanguis incurrit in parietes vasorum, neque vasa reagunt in sanguinem, nisi proùt se habent tùm cordis contractiones, tùm elasticitas membranarum, quibus vasa constant. 1°. Autem non eâdem constanter ratione *attemperantur* inter se contractiones cordis & elasticitas vasorum. Indè concessum vitæ stadium varias in ætates distingui necesse est. 2°. Ineunte infantiâ vis in corde contractilis maxima est ad resistentiam membranarum minimam (*c*). Sic distensio vasorum nullo tempore facilior erit sanguini, nec consequenter celerius fibræ incrementum (*d*). 3°. Dùm procedit ætas, robur non accressit cordi eâdem ratione, quâ additur elasticitati vasorum. Ergò eorum resistentia sensim progreditur ad punctum equilibrii, superior fit, tandemque eò erigi valet, ut prostratæ cedant cordis

(*a*) De nat. hum.

(*b*) *Heist.* Compend. Med. pag. 51.: à circulo sanguinis vita pendet, ita ut nomen mereatur ipsius naturæ. *Gothof. Berg.* de nat. hum. p. 112.

(*c*) Ipsa pulsûs in pueris celeritas majorem vim expulsivem cordis, nixumque in arterias demonstrant. *Hall.* not. in *Boerh.* de nutrit. pag. 519.

(*d*) Demonstratur fœtum eò velociùs increscere, quò tenerior est & origini suæ propior. *Boerh.* de concep. tom. VI. pag. 136. *L'enfant croît toujours de moins en moins ... à trois ans il a 30 ou 32 pouces. La premiere année il croît de 6 à 7 pouces; la deuxieme de 4 à 5; la troisieme de 3 à 4, & ensuite il ne croît gueres que d'un pouce.* Hist. Nat. de l'Homme. *Buff.* tom. II. pag. 473.

contractiones. Urget itaque à primo vitæ instanti ineluctabilis fati necessitas, motûs scilicet cessatio (*e*), dùm in omnibus existentiæ momentis fluida & solida non eumdem inter se actionis respectum obtinent. Statutum est ut ad eas leges tota se componat animalis œconomia, & indè menstrualis mulierum purgatio.

II°. Vis quâ in circulum agitur sanguis, instante primâ mensium eruptione major fit per omnem corporis habitudinem. Primò illum animalis œconomiæ habitum, quo functiones debent ritè perfici, variæ excipiunt mutationes. In puellâ deprehenditur secundo ætatis septenario dolor capitis, pulsus vehementior, frequentes narium hæmorrhagiæ, nonnunquàm ipsa febris (§ I°.). Hæc autem symptomata causam adesse demonstrant quæ vasa distendat; nec datur alia nisi ex humorum circulo (prop. 1a); 2°. quæ eadem distendat præternaturam. Deindè quot periculis stipata est menstrua eadem purgatio? Et certè si vasa uteri non cedant ex nimiâ rigiditate, nec promoveatur incrementum, evacuationem per alia absolvi viscera, vel saltem tentari necesse est. Decumbit humor redundans, ubi minor vis suppetit ad renitendum (*f*). Ex texturâ fibrarum laxiore ad pulmonem metuenda hæmoptisis; ad cerebrum epilepsia; ad hepar obstructiones; ad ventriculum sensilitas major; ad renum canales hæmorrhagiæ. Sic nullum est vitæ tempus quod pluribus morbis soleat agitari; nequè usquam occurrunt hujusmodi pericula, nisi distensio ad vasa viscerum sit ultrà tonum naturalem.

III°. Vis sanguinis aucta in corpore, determinatur potissimùm ad vasa uteri. Explorentur generationis organa. Uterus situs est in hypogastrio inter vesicam & intestinum rectum. Membrana ipsius interior adipe omninò caret & crassitie, texturamque efformant vasa in ramos dispertita propè modùm infinitos. Circà eorum dispositionem hæc docet Anatomia. 1°. Fistula arterialis ad uterum perpendicularis est, ramificationes inter se vario modo implicatæ serpentinis ductibus perreptant, venæ situm eumdem obtinent, minor est ipsarum diameter, valvulis destituuntur. Atqui demonstrant Physici ex illâ canalium dispositione augeri tùm velocitatem, tùm molem liquidorum; nec eadem observatur in aliis visceribus. Major ergò erit quantitas motûs sanguinis per uterum, minor ad aliam corporis partem. 2°. Mirum est quàm facilè extensilis sit uteri substantia. Arteriarum & venarum, inquit Boerhaavius (*g*), tela est & complicatio; nec vasa illa densiore texturâ sibi invicem cohærent, nec strictiori connectuntur textûs cellularis vinculo, nec firmantur vel partibus solidis, vel contractione fibrarum musculosarum quæ sint in viciniâ. Respice è contrà quâ arte per alias corporis partes fulciantur vasa sanguifera; in cerebro, dùm pulposam compagem ossa undique coercent; in pulmone, datis totidem ramificationibus bronchiorum quæ tempore inspirationis quasi solidescunt; in ventriculo ex triplici membranâ, cui digestionis exercitio robur accrescit; in hepate, ex diaphragmate costisque accumbentibus. Non ergò datur pars alia corporis, ubi vasa faciliùs distendi se sinant, & consequenter minor erit ad uterum resistentia. 3°. Extremi arteriarum sanguinearum fines desinunt in cavum cellulosum, ibique vasa hiant serosa minimis ostiolis. Circumvolvuntur illa inextricabili ratione, innumeros habent angulos, flexuosis deferuntur ductibus ad uteri substantiam, patent in ipsius cavitatem per villos exhalantes. Hæc circà generationem vasorum uteri certissima fecit Malpighii auctoritas (*h*). 1°. Indè necesse est, ut sanguis circulando præterlabatur & appellat ad ostiola vasorum serosorum. Adde quòd ex iis perpetuò extillet humor blandus, undè rigiditas præpeditur, possuntque juxtà observationem intumescere stupendo prorsùs modo. 2°. Indè etiam sanguini effluxuro unica occurrit canalis secundarii species peragranda, cujus extremitas una continuo ipsius impetui objicitur, altera patens est in uteri cavitatem: neque enim arterias disrumpi vel claudi cicatricibus necesse est (*i*); neque hîc adsunt glandulæ quibus ulla

(*e*) *Wolf.* Differt. de senect. Sensim morimur & vita nostra perpetuus quasi fluxus est. *Gothof. Berg.* de nat. hum. pag. 183. Per vitam morimur: quin immò ipsa vita mors est. *Bagliv.* pag. 797

(*f*) Quibus menses supprimuntur & mammæ tument, iis furor accedit. *Hippoc.* de morb. mul. lib. 1. sect. V. A suppressis mensib. epilepsiæ. *ibid.* Mulieri sanguinem spuenti supervenientes menses morbum solvunt. *Hipp.* Aph. 32. sect. V.

(*g*) *Boerh.* de menst. tom. VI, pag. 14.

(*h*) Epist. ad *Spon.* pag. 29. *Morgag.* adv. *Anat.* IV. animad. 26.

(*i*) Capillarium oscula, quibus menses fluere consuêrunt, continuâ tandem cicatrice, quasi callo obducta sunt. *Freind.* de mensib. cap. VIII.

fiat secretio; neque existunt series vasorum quæ in infinitum decrescant (*k*). Sequitur viam pro eruptione mensium multò magìs expeditam esse in utero, quàm ad aliam corporis partem.

IV°. Vis aucta sanguinis demonstrat majorem esse illius vel molem, vel velocitatem, vel utramque simul. 1°. Si major fuerit sanguinis moles, fit istud; vel quia datæ quantitati nova additur, tunc adest plethora vera; vel quia remanente eâdem quantitate, spontè cedit vasorum resistentia, tunc adest plethora relativa, quæ eosdem habet effectus; nec alia ratione moles accrescit: 2°. si major velocitas; tunc adest plethora notha. Certum sit ergò juxta illust. Freind, instante primâ mensium eruptione plethoram demonstrari ad totam corporis habitudinem, potissimùmque per vasa uteri.

V°. Plethora eadem ipsa est menstruationis causa. 1°. Si deficit, nequè menstrua observatur evacuatio, ut in infantibus; neque datur evacuationis necessitas, ut in lactantibus & gravidis; neque possibile est hujusmodi evacuationem peragi. Menstruatio enim plethoram solvit: & certè priùs est plethoram dari, quàm ipsius crisim. 2°. Sanguis ultrà vias circulationis non erumpit, nisi vis ipsius augeatur, vel spontè cedat vasorum resistentia; quod idem est (prop. 1a & 2a). Atqui vis in sanguine augeri non potest, nisi ex mole majori vel velocitate; nequè velocitas vel moles major esse, quin adsit plethora (prop. 4a). Demonstratur ergò plethoram esse veram & immediatam menstruæ evacuationis causam in mulieribus. Eadem apud viros existit certo ætatis stadio, quâ positâ necesse est ipsos periodicum effluxum experiri.

(*k*) *Boerh.* tom. 3. pag. 460.

§. IV.

PLETHORA ratio est humorum ad vasa major, quàm quæ requiritur ut fiat nutritio. (*a*) Demonstrant vitæ phænomena illam in utroque sexu per totum vitæ decursum occurrere; citiùs renasci, si quâcumque de causâ defecerit; quin immò inter principia constitutioni humanæ inhærentia esse reponendam.

I°. Per ætatem infantilem plethora efformatur. Laxiora sunt fibrarum stamina, cartilagineam flexilitatem ossa retinent, promptior est circulatio, facillima distensio vasorum (§. III. prop. 1a.). Indè promovetur incrementum stupendo prorsùs modo; quod quidem supponit humores generari, tùm qui sufficiant ut corpus stet in eodem habitu, tùm qui possint ad extensionem partium cedere. 2°. Dùm sensim increscit corporis superficies, removentur à centro circulationis extremi fines arteriarum, majus fit in dies spatium quod percurrant fluida, viæ non ita permeabiles, vasa quædam obliterantur, densitas membranis accrescit, solidis elasticitas, donec ad cordis contractiones ipsorum æquilibretur resistentia. Hæc est ætas matura. Corporis incrementum certi terminant limites; fibrarum confirmatur elater; quantâ fieri potest actione organa gaudent vitalia. Digestio perfectissima est (*b*). Succi proindè nutritii eâ quantitate generari debent, quâ sinit vasorum flexilitas ipsos per vias circulationis affluere. Atqui cedunt vasa distensioni successivæ ultrà tonum naturalem, nec jàm elongari valent: necesse est ergò adesse rationem fluidorum majorem, quàm quæ nutritioni impenditur (*c*). 3°. Non sistit se corpus ad illud roboris fastigium, in quo functiones eriguntur alacriori viscerum consensu, jàmque superior imminet vasorum resistentia. Additur sensim rigiditas fibrarum texturæ, spontè contrahuntur canales humoribus impervii, circulatio lentior est, cedunt cordis contractiones, instat senectus quæ tardo primùm incedit pede. Caduca succedit ætas dùm in dies difficillima evadit nutritio. Indè enim fluida deliquescunt, languidæ prosternuntur vires, corpus procumbit rugis & macie fœdatum: ecquis verò dubitet plethoram adesse, ubi vix peragi potest nutritio? neque aliundè pendent evacuationes serosæ quâs ad sanitatis tutamen senes experiuntur.

II°. Stat œconomia animalis certâ fluidorum ad solida proportione, & hic naturalis est tonus quem destruit humorum turgescentia: sanitas ergò læditur (*d*); quin immò

(*a*) Nutritio est actionum ultima, quæ reliquas omnes ritè se habere supponit. *Boerh.* tom. 3. p. 490.

(*b*) Ad ætatem maturam consistimus in fastigio virium, partoque vivimus. *Hamberg.* Elem. Phys. de nutrit.

(*c*) Summæ sanitatis effectus plethora est. *Wansw.* in Aph. *Boerh.* tom. 1. pag. 139.

(*d*) Plethora est copia *boni sanguinis* major, quàm quæ ferre possit eas mutationes, quæ vitæ inevitabiles accidunt, nisi morbi inducantur. *Wansw.* in Aph. *Boerh.* tom. 1. pag. 136.

fæpiùs in difcrimen adducitur vitâ (*e*), nifi fluida libero functionum exercitio fuperflua ad legitimam rationem fe componant, plethoraque, dùm mechanicè inftituitur, mechanicè folvenda eft. 1°. Illa quidem apud infantes impenditur totâ partium extenfioni, nec mirum eft, quòd ad corporis habitudinem non alio, ut plurimùm, fe prodat fymptomate. 2°. Diffipat eamdem in ætate maturâ effluxus periodicus, jamque demonftrata videtur tùm viris, tùm mulieribus criticæ evacuationis neceffitas certo ætatis ftadio. Scilicet in utroque fexu, prout ætas procedit, quædam conciliatur fibris refiftentia; & indè difficilius incrementum: paulatim ex incremento difficiliori intra vaforum cavitatem coacervari debet plethora; neque enim in extenfionem partium ità promptè fuperflui abeunt humores: ex plethorâ major fit actio fluidorum & folidorum inter fe reciproca; ficque deprehenditur illa fymptomatum cohors quibus ad crifim fefe accingit Natura: ex actione fluidorum & folidorum majori, dùm fingulis diebus augetur, vel functiones ad œconomiam animalem opprimi, motumque ceffare; vel plethoræ progreffum impediri quocumque modo neceffe eft. Ulteriùs itaque promoveatur incrementum, nifi occurrat evacuatio quævis critica: non alia laboranti Naturæ via permittitur. Ergò apud viros, ubi ad ætatis maturæ ftadium ftat corpus in extremis incrementi terminis, fola quæ fuperfit folvendæ plethoræ ratio, ipfe eft effluxus periodicus. Certa hæc funt quibus affentitur mechanices corporis, certiora dùm confirmat obfervatio. Scilicet ad annum circiter vigefimum quintum plethora ultrà vias circulationis fingulis diffipatur menfibus vel per urinam copiofiorem, vel per infenfilem perfpirationem periodicè auctam (*f*); ficque per totum vitæ curriculum. Ergò viri ex ipfa conditione exiftendi plethoram experiuntur, undè lex fancita eft, ut criticæ *ad inftar mulierum*, evacuationi certo fubjaceant ætatis ftadio.

(*e*) Si plus additur corpori quàm amiffum eft, obruitur; fi minùs, contabefcit. *Boerh.* de nutrit. tom. VI. pag. 463. Plethoricus homo poteft effe fanus, fed interim in maximo difcrimine verfatur. *Wanfw.* in Aph. *Boerh.* pag. 137.

(*f*) Sanct. Stat. Med. Aph. LXV. & LXVI.

§. V.

Q*UO profundiùs in cognitionem rerum defcendimus, eò Naturam reperimus fimpliciorem* (*a*). Statuta eft in utroque fexu plethora omnibus vitæ periodis. Ex ipsâ facilis fluit phœnomenorum explicatio, quæ dubitanti fidem, convicto demonftrationem adftruat.

I°. Peractâ menfium eruptione fpontè coarctantur vafa. Dùm autem novi affluunt humores, quantùm flexilis finit canalium diftractilitas, fimulque poffunt vafa ad certum diftenfionis gradum cedere, debet intrà datum tempus recurrere eadem evacuationis conditio. Simplici hoc mechanifmo inftituuntur periodi fingulis, juxtà obfervationem (*b*), menfibus lunaribus.

II°. Intelligitur quænam occurrat inter utrumque fexum præcipua difcriminis ratio. Scilicet quamvis diffimilis fit organorum apparatus, iifdem Natura legibus conftanter addicta eft: aft dùm uterus in puellâ præcipuæ humorum actioni fubjacet, nullique incumbit functionum exercitio, expedit primo plethoræ infultu ultrà vias circulationis erumpere fanguinem; fic præmatura inftituitur menftruatio. Solet illa quidem totam agitare animalem œconomiam ex fympathicâ nervorum mobilitate, donec ad annum decimum feptimum humores fuperflui notum iter fingulis menfibus facilè relegant, jamque puella ultimos attigit incrementi limites (*c*): nulla enim partium extenfio abfque plethorâ; & tota in evacuationem abfumitur. Fœminæ ergò ftatutum fuit, ut eam retineat exiftendi normam quæ juventutis eft, artuum gracilitatem, corpus venuftate compofitum, molles in obfequium animos, nufquàm robore virili infignita (*d*). Non abfimili mechanifmo in juvene, dùm prima elucefcit pubertatis aurora, ad corpus intenditur æftus humorum, nec tamen critica fuccedit evacuatio: fingula enim vifcera datus labor occupat, adeft inter omnia confenfus mutuo functionum fœdere, quo reniti valent contrà impetus externos. Deindè remotiffima funt vafcula cutis exhalantia. Hinc neceffe eft facilem adhuc fibrarum compagem

(*a*) *Boerh.* Inftit. de morb. nat. tom. VII.

(*b*) Ipfa ratio periodi eft in proportione virium expandentium ad vires refiftentes. *Hall.* not. in *Boerh.* de menft.

(*c*) Ad certum proceritatis terminum fœminæ ferè *tertia parte annorum* citiùs quàm viri perveniunt. *Boerh.* de menft. tom. VI. pag. 9.

(*d*) Non valet æducatio arsve fuprà naturam, nec natura quidquam ipfa poteft corpori addere, nifi per incrementum.

extendi ulteriùs, hinc robur corpori additur, virilisque emicat ingenii acies. Non aliundè igitur sexui fœmineo vir ità præcellit, nisi ex perfectâ citiùs menstruâ in mulieribus evacuatione.

III°. Nil mirum est gradatim per plures annos menses imminui, prout ætas progreditur, simulque vasorum resistentia, donec penitùs intercidant in utroque sexu. Instat enim rigiditas nimia quam concipiunt tùm arteriæ serosæ uteri, tùm cutis colatoria; sicque totum menstruationis negotium absolvitur anno circiter quinquagesimo. Solent tunc mulieres habitum contrahere pleniorem, dùmque decor indè redivivus conciliatur corpori, videntur ipsæ sibi ad juventutis fontes remeare. Vana fides! mediâ de sanitate lenta surgit senectus, suisque progreditur fœta infirmitatibus. Sors eadem fuit fœminæ & viri ad tempus usque menstruationis, quo peracto recurrit non absimilis conditio. Per varia ætatis caducæ pericula æquis incedunt passibus, adeo gentem humanam insequitur plethora.

Ast objici potest nullo apud viros symptomate criticam prænuntiari evacuationem; quin immò vix quemquam experiri quo mensis tempore eadem occurrat. Hæc quidem duplici ratione evertimus. 1°. Ea est mirabilis ad œconomiam amimalem omnium partium harmonia, ut plurimæ instituí soleant, quædam nobis insciis peragantur functiones: nec certè ipsa insensilis perspiratio tot aliundè experimentis confirmata, sensuum innititur testimonio. 2°. Juvenem intuere, dúm ex infantiæ latebris ad pubertatem emergit novo quodam incensus ardore: en efflorescunt pili, per intimos circulationis recessus æstuant humores, perficitur seminis secretio, frequentes sunt narium hæmorrhagiæ, innumera corpus obsident pericula, non rarò morbi invadunt inflammatorii, quasi, ut optimè censet Sthallius, per crises hujusmodi imperfectas opportunam evacuationem producere jam intendat Natura. Deindè non diffitemur certiora abesse evacuationis symptomata apud viros qui venatu, equitatione, bellicis laboribus corpus firmant: impedit enim robur nativum, quin graviora incommoda suppressionem sequantur etiam diuturniorem. Ast in iis qui sapientiæ studia excolentes, remotique ab exercitio, labili instar puellarum fruuntur valetudine, variis ut plurimùm signis produnt se singulis mensibus periodi. Haud aliter apud aulicas mulieres quantitas evacuationis menstruæ major esse debet, dùm lautiore utuntur victu, otio subjacent & mollitie, vitamque per voluptates umbratilem degunt.

Non immorabimur arcendis objectionibus. Ipsa doceat observatio quot phœnomenis fœcundum sit principium illud plethoræ, quæ propriis è ruinis renascens, constanter occurrat. Indè demonstratum credimus necessariam esse in utroque sexu criticam evacuationem, ubi corpus ultimos attigit extensionis fines; neque alia adest menstruæ mulierum purgationis causa.

Ergò Viris lex eadem quæ Mulieribus, periodicas Evacuationes pati.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI,

M. Joannes-Jacobus MESSENCE.	*M. Bernardus-Nicolaus BERTRAND, rei Herbariæ Professor.*	*M. Tussanus-Gilbertus BOULLAND, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castelleto.*
M. Carolus-Franciscus THEROULDE DE VALLUN, Eques.	*M. Stephanus-Ludovicus GEOFFROY, Societatis Botanicæ Florentinæ Socius.*	*M. Gaspardus COCHON DU PUY, Regis ordinis Eques, Regis Consiliarius & in Arce maritimâ Rupiforensi Anatomes & Chirurgiæ Professor Regius.*
M. Anna-Carolus LORRY.	*M. Dionysius PAUTIER DE LA BREUILLE, SS. Delphini & Delphinæ Medicus primarius designatus.*	*M. Jacobus-Albertus HAZON.*

Proponebat Parisiis JOANNES-ANTONIUS-ELIE DE LA POTERIE, Constantiensis, Doctor Medicus Cadomensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor. A. R. S. H. 1764.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis F. A. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1764.